

4. ilicet a deliciis in delicias rapiebamur. vix quodcumque vestibulum intratum, et ecce huc¹ sphaeristarum contrastantium paria inter rotatiles catastropharum gyros duplicabantur, huc inter aleatoriarum vocum competitiones frequens crepitantium fritillorum tesserarumque strepitus audiebatur; huc libri adfatim in promptu (videre te crederes aut grammaticales pluteos aut Athenaei cuneos aut armaria exstructa bybliopolarum): sic tamen quod, qui inter matronarum cathedras codices erant, stilis his religiosos inveniebatur, qui vero per subsellia patrumfamilias, hi coturno Latiaris eloquii nobilitabantur; licet quaequam volumina quorumpiam auctorum servarent in causis disparibus dicendi parilitatem: nam similis scientiae viri, hinc Augustinus hinc Varro, hinc Horatius hinc Prudentius lectitabantur.

Sid. Apoll.
epist. 2, 9, 4

5. Ecce parui tamquam iunior imperatis: tu modo fac memineris multiplicato me faenore remunerandum, quoque id facilius possis voluptuosiusque, opus est ut sine dissimulatione lectites, sine fine lecturias; neque patiaris ut te ab hoc proposito propediem coniunx domum feliciter ducenda deflectat, sisque oppido meminers quod olim Marcia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Pudentilla Apuleio, Rusticiana Symmacho legentibus meditantibusque candelas et candelabra tenuerunt.

6. certe si praeter oratoriam¹ contubernio feminarum poeticum ingenium et oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam quereis obtundi, reminiscere quod saepe versum Corinna cum suo Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Caesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. proinde liquido claret studentibus discendi per nuptias occasionem tribui, desidibus excusationem. igitur incumbere, neque apud te litterariam curam turba depretiet imperitorum, quia natura comparatum est ut in omnibus artibus hoc sit scientiae pretiosior pompa, quo rarior. vale.

Sid. Apoll.
epist. 2, 10, 5

17. Sint tibi sociae, quas uideris quod ieiunia tenuant, quibus pallor in facie est, quas et aetas probavit et uita, quae cotidie in cordibus suis canunt: ubi pascis? ubi cubas in

meridie? quae ex affectu dicunt: cupio dissolui et esse cum Christo. esto subiecta parentibus: imitare sponsum tuum. rarus sit egressus in publicum: martyres tibi quaerantur in cubiculo tuo. numquam causa deerit procedendi, si semper, quando (necesse, quando non) necesse est, processura sis. moderatus cibus et numquam uenter repletus. plurimae quippe sunt, quae, cum uino sint sobriae, ciborum largitate sunt ebriae. ad orationem tibi nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas. crebrius lege et disce quam plurima. tenenti codicem somnus obrepat et cadentem faciem pagina sancta suscipiat. sint tibi cotidiana ieiunia et refectio satietatem fugiens. nihil prodest biduo triduoque transmissio uacuum portare uentrem, si pariter obruitur, si compensatur saturitate ieiunium. ilico mens repleta torpescit et inrigata humus spinas libidinum germinat. si quando senseris exteriorem hominem florem adolescentiae suspirare et accepto cibo cum te in lectulo conpositam dulcis libidinum pompa concusserit, arripe scutum fidei, in quo ignitae diaboli extinguuntur sagittae. omnes adulterantes, quasi clibanus corda eorum. at tu Christi comitata uestigiis et sermonibus eius intenta dic: nonne cor nostrum erat ardens in uia,

cum aperiret nobis Iesus scripturas? et illud: igni-
tum eloquium tuum, et seruus tuus dilexit illud.
4 difficile est humanam animam non amare et necesse est, ut
in quoscumque mens nostra trahatur affectus. carnis amor spi-
ritus amore superatur; desiderium desiderio restinguitur. quid- 5
quid inde minuitur, hinc crescit. quin potius semper ingemina:
super lectum meum in noctibus quaesiui, quem
dilexit anima mea. mortificate, ait apostolus, membra
uestra super terram. unde et ipse confidenter aiebat: uiuo
5 autem iam non ego, uiuit autem in me Christus. qui 10
mortificauit membra sua et in imagine perambulabat, non timet
dicere: factus sum tamquam uter in pruina; quidquid
enim in me fuit umoris, excoctum est, et: infirmata sunt
in ieiunio genua mea, et: oblitus sum manducare
panem meum; a uoce gemitus mei adhaesit os meum 15
carni meae.

Hier. epi. 22, 17

29. Variis callidis hostis pugnatur insidiis. sapientior erat 15
coluber omnibus bestiis, quas fecerat dominus deus super
terram. unde et apostolus: non, inquit, ignoramus eius
astutias. nec affectatae sordes nec exquisitae munditiae
conueniunt Christianis. si quid ignoras, si quid de scripturis 2
dubitas, interroga eum, quem uita commendat, excusat aetas,
5 fama non reprobatur, qui possit dicere: desponsaui enim
uos uni uiro, uirginem castam exhibere Christo.
aut si non est, qui possit exponere, melius est aliquid ne-
scire securam, quam cum periculo discere. memento, quoniam 3
10 in medio laqueorum ambulas et multae ueteranae uirgines
castitatis indubitatae in ipso mortis limine coronam perdidere
de manibus. si quae ancillae sunt comites propositi tui, ne
erigaris aduersus eas, ne infleris ut domina. unum sponsum
habere coepistis, simul psallitis Christo, simul corpus accipitis,
15 cur mensa diuersa sit? prouocentur et aliae. honor uirginum
sit inuitatio ceterarum. quodsi aliquam senseris infirmiore 4
in fide, suscipe, consolare, blandire et pudicitiam illius fac
lucrum tuum. si qua simulat fugiens seruitutem, huic aperte
apostolum lege: melius est enim nubere quam uri.

eas autem uirgines uiduasque, quae otiosae et curiosae domus
circumeunt matronarum, quae rubore frontis adtrito parasitos
uicere mimorum, quasi quasdam pestes abice. corrumpunt
5 mores bonos confabulationes pessimae. nulla illis
nisi uentris cura est et quae uentri proxima. istiusmodi hortari 5
solent et dicere: 'mi catella, rebus tuis utere et uiue, dum
uiuis', et: 'numquid filiis tuis seruas?' uinosae atque lasciuiae
quiduis mali insinuant ac ferreas quoque mentes ad delicias
moliunt et, cum luxuriatae fuerint in Christo, nu-
bere uolunt habentes damnationem, quia primam 10
6 fidem inritam fecerunt. nec tibi diserta multum uelis
uideri aut lyricis festiua carminibus metro ludere. non de-
lumbem matronarum saliuam delicata secteris, quae nunc
strictis dentibus, nunc labiis dissolutis balbutientem linguam
in dimidiata uerba moderantur rusticum putantes omne, quod 15
nascitur. adeo illis adulterium etiam linguae placet. quae
enim communicatio luci ad tenebras? qui consen-
sus Christo et Belial? quid facit cum psalterio Horatius? 7
cum euangeliiis Maro? cum apostolo Cicero? nonne scandali-
zatur frater, si te uiderit in idolio recumbentem? et licet
5 omnia munda mundis et nihil reiciendum sit, quod
cum gratiarum actione percipitur, tamen simul bibere
non debemus calicem Christi et calicem daemoniorum. referam
tibi meae infelicitatis historiam.

ibid. 29

*Aurea concordi quae fulgent fila metallo
 setarum cumulis consociare volo.*
*Sericeum tegmen, gemmantia texta Laconum,
 pellibus hircinis aequiperanda loquor.*
Nobilis horribili iungatur purpura burrae; 5
nectatur plumbo fulgida gemma gravi:
*sit captiva sui nunc margarita nitoris
 et clausa obscuro fulgeat in chalybe:*
*Lingonico pariter claudatur in aere smaragdus;
 compar silicibus nunc hyacinthus eat:* 10
rupibus atque molis similis dicatur iaspis.
Eligat infernum iam modo luna chaos.
*Nunc etiam urticis mandemus lilia iungi,
 purpureamque rosam dira cicuta premat:*
nunc simul optemus despectis piscibus ergo 15
delicias magni nullificare freti;
*auratam craxantus amet, saxatilis anguem,
 limacem pariter nunc sibi tructa petat;*
*altaque iungatur vili cum vulpe leaena,
 perspicuam lyncem simius accipiat;* 20
*iungatur nunc cerva asino, nunc tigris onagro,
 iungatur fesso concita damma bovi.*
*Nectareum vitient nunc lasera tetra rosatum
 mellaque cum fellis sint modo mixta malis;*
gemmaentem sociemus aquam luteumque barathrum; 25
stercoribus mixtis fons eat inriguus.
*Praepes funereo cum vulture ludat hirundo;
 cum bubone gravi nunc philomela sonet;*
tristis perspicua sit cum perdice cavanus 30
iunctaque cum corvo pulchra columba cubet.
*Haec monstra incertis mutant sibi tempora fatis
 Rusticus et servus sic petat Eucheriam!*

Versus Eucheriae

19

Laidas et Glyceras, lascivae nomina famae,
 coniunx in nostro carmine cum legeret;
 ludere me dixit falsoque in amore iocari:
 tanta illi nostra est de probitate fides.

27

Laudet Achaemenias Orientis gloria telas,
 molle aurum pallis, Graecia, texe tuis,
 non minus Ausoniam celebret dum fama Sabinam,
 parcentem magnis sumptibus, arte parem.

28

Sive probas Tyrio textam subtemine vestem,
 seu placet inscripti commoditas tituli,
 ipsius hoc dominae concinnat utrumque venustas;
 has geminas artes una Sabina colit.

29

Licia qui texunt et carmina, carmina Musis,
 licia contribuunt, casta Minerva, tibi;
 ast ego rem sociam non dissociabo Sabina,
 versibus inscripsi quae mea texta meis.

Auson.

epigr. 19. 27-29 Green

quid vos eloqui canam Latini, 145
 Arpinas, Patavine, Mantuane,
 et te, comica qui doces, Terenti,
 et te, tempore qui satus severo
 Graios, Plaute, sales lepore transis, 150
 et te multimoda satis verendum
 scriptorum numerositate, Varro,
 et te, qui brevitatem, Crispe, polles,
 et qui pro ingenio fluente nulli,
 Corneli Tacite, es tacendus ori, 155
 et te Massiliensium per hortos
 sacri stipitis, Arbitri, colonum
 Hellespontiaci parem Priapi,
 et te carmina per libidinosam
 notum, Naso tener, Tomosque missum,
 quondam Caesareae nimis puellae 160
 ficto nomine subditum Corinnae?
 quid celsos Senecas loquar vel illum
 quem dat Bilbilis alta Martialem,
 terrarum indigenas Hibericarum?
 quid quos duplicibus iugata taedis 165
 Argentaria Polla dat poetas?
 quid multos varii stili retexam?
 arguti, teneri, graves, dicaces,
 si Consentius adfuit, latebant.

Sord. Apoll.

Corin. 23, 145-169

XXI

Haec est illa dies, magni quae conscia partus
 Lucanum populis et tibi, Polla, dedit.
 Heu! Nero crudelis nullaque inuisior umbra,
 debuit hoc saltem non licuisse tibi.

XXII

Vatis Apollinet magno memorabilis ortu
 lux redit: Aonidum turba, fauete sacris.
 Haec meruit, cum te terris, Lucane, dedisset,
 mixtus Castaliae Baetis ut esset aquae.

XXIII

Phoebae, ueni, sed quantus eras cum bella tonanti
 ipse duros Latiae plectra secunda lyrae.
 Quid tanta pro luce precer? Tu, Polla, maritum
 saepe colas et se sentiat ille coli.

Mant. epigr. 7, 21-23

GENETHLIACON LVCANI AD POLLAM

LVCANI proprium diem frequentet
 quisquis collibus Isthmiae Diones
 docto pectora concitatus oestro
 pendentis bibit unguiae liquorem.
 ipsi quos penes est honor canendi, 5
 uocalis citharae repertor Arcas
 et tu, Bassaridum rotator Euhan,
 et Paeon et Hyantiae sorores,
 laetae purpureas nouate uittas,
 crinem comite, candidamque uestem 10
 perfundant hederæ recentiores.
 docti largius euagentur amnes
 et plus, Aoniae, uirete, siluæ,
 et, si qua patet aut diem recepit,
 sertis mollibus expleatur umbra. 15
 centum Thespiacis odora lucis
 stent altaria uictimæque centum
 quas Dirce lauat aut alit Cithæron.
 Lucanum canimus, fauete linguis;
 uestra est ista dies, fauete, Musæ, 20
 dum qui uos geminas tulit per artes,
 et uinctæ pede uocis et solutæ,
 Romani colitur chori sacerdos.
 felix heu nimis et beata tellus,
 quæ pronos Hyperionis meatus 25
 summis Oceani uides in undis
 stridoremque rotæ cadentis audis;
 quæ Tritonide fertiles Athenas
 unctis, Baetica, prouocas trapetis:
 Lucanum potes imputare terris. 30
 hoc plus quam Senecam dedisse mundo
 aut dulcem generasse Gallionem.
 attollat refluos in astra fontes
 Graio nobilior Melete Baetis;
 Baetim, Mantua, prouocare noli. 35
 natum protinus atque humum per ipsam
 primo murmure dulce uagientem
 blando Calliope sinu recepit.
 tum primum posito remissa luctu

longos Orpheos exiit dolores 40
 et dixit: 'puer o dicite Musis,
 longæuos cito transiture uates,
 non tu flumina nec greges ferarum
 nec plectro Geticas mouebis ornos,
 sed septem iuga Martiumque Thybrim 45
 et doctos equites et eloquente
 cantu purpureum trahes senatum.
 nocturnas alii Phrygum ruinas
 et tardi reduces uias Vlixis
 et puppem temerariam Mineruæ 50
 trita uatibus orbita sequantur:
 tu carus Latio memorque gentis
 carmen fortior exseres togatum.
 ac primum teneris adhuc in annis
 ludes Hectors Thessalosque currus 55
 et supplex Priami potentis aurum,
 et sedes reserabis inferorum;
 ingratus Nero dulcibus theatris
 et noster tibi proferetur Orpheus.
 dices culminibus Remi uagantes 60
 infandos domini nocentis ignes.
 hinc castæ titulum decusque Pollæ
 iucunda dabis adlocutione.
 mox coepta generosior iuuenta
 albos ossibus Italis Philippos 65
 et Pharsalica bella detonabis,
 quo fulmen ducis inter arma diui
 * * * * *
 libertate grauem pia Catonem
 et gratum popularitate Magnum.
 tu Pelusiaci scelus Canopi 70
 deflebis pius et Pharo cruenta
 Pompeio dabis altius sepulchrum.
 hæc primo iuuenis canes sub æuio
 ante annos Culicis Maroniani.
 cedet Musa rudis ferocis Enni 75
 et docti furor arduus Lucreti
 et qui per freta duxit Argonautas
 et qui corpora prima transfigurat.
 quid? maius loquar: ipsa te Latinis
 Aeneis uenerabitur canentem. 80
 nec solum dabo carminum nitorem

sed taedis genialibus dicabo
doctam atque ingenio tuo decoram,
qualem blanda Venus daretque Iuno
forma, simplicitate, comitate,
censu, sanguine, gratia, decore,
et uestros hymenaeon ante postes
festis cantibus ipsa personabo.

o saeuae nimium grauesque Parcae!
o numquam data longa fata summis!
cur plus, ardua, casibus patetis?
cur saeua uice magna non senescunt?
sic natum Nasamonii Tonantis
post ortus obitusque fulminatos
angusto Babylon premit sepulchro;
sic fixum Paridis manu trementis
Peliden Thetis horruit cadentem;
sic ripis ego murmurantis Hebri
non mutum caput Orpheos sequebar.
sic et tu, rabidi nefas tyranni,
iussus praecipitem subire Lethen,
dum pugnas canis arduaue uoce
das solacia grandibus sepulchris,
(o dirum scelus, o scelus!) tacebis.

sic fata est leuiterque decedentes
abrasit lacrimas nitente plectro.

at tu, seu rapidum poli per axem
famae curribus arduis leuatus,
qua surgunt animae potentiores,
terras despicias et sepulchra rides;
seu pacis merito nemus reclusi
felix Elysii tenes in oris,
quò Pharsalica turba congregatur,

et te nobile carmen insonantem
Pompei comitantur et Catones
(tu magna sacer et superbus umbra
nescis Tartaron et procul nocentum
audis uerbera pallidumque uisa
matris lampade respicis Neronem);
adsis lucidus et uocante Polla
unum, quaeso, diem deos silentum
exores: solet hoc patere limen
ad nuptas redeuntibus maritis.
haec te non thiasis procax dolosis
falsi numinis induit figura,
ipsum sed colit et frequentat ipsum
imis altius insitum medullis;
at solacia uana subministrat
uultus, qui simili notatus auro
stratis praenitet incubatque somno
securae. procul hinc abite, Mortes:
haec uitae genitalis est origo.
cedat luctus atrox genisque manent
iam dulces lacrimae, dolorque festus,
quicquid fleuerat ante, nunc adoret.

115

120

125

130

135

Stat. Sten. 2, 7

85

90

95

100

105

110

5 5. Nulla eo tempore nobilium feminarum nouerat Romae propo-
situm monachorum nec audebat propter rei nouitatem ignomini-
osum, ut tunc putabatur, et uile in populis nomen adsumere. haec
ab Alexandrinis sacerdotibus papaque Athanasio et postea Petro,
10 qui persecutionem Arrianae hereseos declinantes quasi ad tutissi-
mum communionis suae portum Romam confugerant, uitam beati
Antonii adhuc tunc uiuentis monasteriaque in Thebaide Pachumii
et uirginum ac uiduarum didicit disciplinam nec erubuit profiteri,
quod Christo placere cognouerat. hanc multos post annos imitata est 2
Sophronia et aliae, quibus rectissime illud Ennianum aptari potest:
15 *ut in a me in nemore Pelio.* huius amicitia fructa est
Paula uenerabilis, in huius nutrita cubiculo Eustochium, uirginitatis
decus, ut facilis aestimatio sit, qualis magistra, ubi tales discipulae.
rideat forsitan infidelis lector me in muliercularum laudibus inmo- 3
rari: qui, si recordetur sanctas feminas, comites domini saluatoris,
20 quae ministrabant ei de sua substantia, et tres Marias stantes ante
crucem Mariamque proprie Magdalenen, quae ob sedulitatem et
ardorem fidei 'turritae' nomen accepit et prima ante apostolos Chri-
stum uidere meruit resurgentem, se potius superbiae quam nos con-
demnabit ineptiarum, qui uirtutes non sexu sed animo iudicamus.
25 unde et Iesus Iohannem euangelistam amabat plurimum, qui propter 4
generis nobilitatem erat notus pontifici et Iudaeorum insidias non
timebat, in tantum, ut Petrum introduceret in atrium et staret
solus apostolorum ante crucem matremque saluatoris in sua reci-
peret, ut hereditatem uirginis domini uirginem matrem filius uirgo
susciperet.

Min. epist. 127, 5

7. Denique, cum et me Romam cum sanctis pontificibus Pau-
lino et Epiphania ecclesiastica traxisset necessitas — quorum alter
Antiochenam Syriae, alter Salaminiam Cypri rexit ecclesiam —
et uerecunde nobilium feminarum oculos declinarem, ita egit secun- 25

dum apostolum in portune, oportune, ut pudorem meum
sua superaret industria. et quia alicuius tunc nominis aestimabar
super studio scripturarum, numquam conuenit, quin de scripturis
aliquid interrogaret nec statim adquiesceret, sed moueret e con-
5 trario quaestiones, non ut contenderet, sed ut quaerendo disceret
earum solutiones, quas opponi posse intellegebat. quid in illa uirtu- 2
tum, quid ingenii, quid sanctitatis, quid puritatis inuenerim,
uereor dicere, ne fidem credulitatis excedam et tibi maiorem dolorem
incutiam recordanti, quanto bono carueris. hoc solum dicam, quod,
10 quicquid in nobis longo fuit studio congregatum et meditatione diu-
turna quasi in naturam uersum, hoc illa libauit, hoc didicit atque
possedit, ita ut post perfectionem nostram, si aliquo testimonio
scripturarum esset oborta contentio, ad illam iudicem pergeretur.
et quia ualde prudens erat et nouerat illud, quod appellant philo- 3
15 sopher *τὸ πρέπον*, id est decere, quod facias, sic interrogata
respondebat, ut etiam sua non sua diceret, sed uel mea uel cuius-
libet alterius, ut et in ipso, quod docebat, se discipulam fateretur
— sciebat enim dictum ab apostolo: *docere autem mulieri*
non permitto —, ne uirili sexui et interdum sacerdotibus de
20 obscuris et ambiguis seiscitantibus facere uideretur iniuriam.

ibid. 7

(7)

AD GERUCHIAM DE MONOGAMIA.

1. In ueteri uia nouam semitam quaerimus et in antiqua detri-
taque materia rudem artis excogitamus elegantiam, ut nec eadem
sint et eadem sint. unum iter et perueniendi, quo cupias, multa con-
pendia. saepe ad uiduas scripsimus et in exhortatione earum multa
de scripturis sanctis exempla repetentes uarios testimoniorum flores

in unam pudicitiae coronam texuimus. nunc ad Geruchiam nobis
sermo est, quae quodam uaticinio futurorum ac dei praesidentis au-
xilio nomen accepit, quam auiae et matris amitaeque, probatarum
in Christo feminarum, nobilis turba circumstat: quarum auia
Metronia per quadraginta annos uidua perseuerans Annam nobis,
filiam Fanuhelis, de euangelio retulit, Benigna mater quartum et
decimum implens uiduitatis annum centenario uirginum choro
cingitur, soror Celerini, patris Geruchiae, quae paruulam nutriuit
infantem et in suo natam suscepit gremio, per annos uiginti mariti
solacio destituta erudit neptem, quod a matre didicit.

2. Haec breui sermone perstrinxi, ut ostendam adulescentulam
meam non praestare monogamiam generi suo sed reddere nec tam
laudandam esse, si tribuat, quam omnibus execrandam, si negare
temptauerit, praesertim cum postumus eius Simplicius nomen patris
referat et nulla sit excusatio desertae ac sine herede domus, sub
quorum patrocinio interdum sibi libido blanditur, ut, quod propter
intemperantiam suam faciunt, uideantur facere desiderio liberorum.
sed quid ego quasi ad retractantem loquor, cum audiam eam multos

palatii procos ecclesiae uitare praesidio, quos certatim diabolus in-
flammat, ut uiduae nostrae castitatem probet, quam et nobilitas et
forma et aetas et opes faciunt cunctis appetibilem, ut, quanto plura
sunt, quae impugnant pudicitiam, tanto uicticris maiora sint
praemia?

3. Et quia nobis de portu egredientibus quasi quidam scopulus
opponitur, ne possimus ad pelagi tuta decurrere, et apostoli Pauli
scribentis ad Timotheum profertur auctoritas, in qua de uiduis dis-
putans ait: uolo autem iuniores nubere, filios
procreare, matres familias esse, nullam occa-
sionem dare aduersario maledicti gratia; iam
enim quaedam abierunt retro post satanan,
oportet primum sensum tractare praecepti et omnem loci huius
continentiam discutere atque ita apostolicis uestigiis insistentem
ne transuersum quidem, ut dici solet, unguem in partem alteram
declinare. supra scripserat, qualis uidua esse deberet: unius uiri
uxor, quae liberos educauit, quae in bonis operibus habuit testi-
monium, quae tribulantibus de sua substantiola ministrauit, cuius
spes deus est et quae permanet in obsecratione et orationibus
nocte ac die.

Hier. epist. 123, 1-3

7. Quod quidem obseruat et gentilitas in condemnationem
nostri, si hoc non exhibeat ueritas Christo, quod tribuit mendacium
diabolo, qui et castitatem repperit perditricem. hierophanta apud
Athenas eiurat uirum et aeterna debilitate fit castus, flamen unius
uxoris ad sacerdotium admittitur, flaminica quoque unius mariti
uxor eligitur, ad tauri Aegyptii sacra semel maritus adsumitur, ut
omittam uirgines Uestae et Apollinis Iunonisque Achiuae et Dianae
ac Mineruae, quae perpetua sacerdotii uirginitate marcescunt. strin-
gam breuiter reginam Carthaginis, quae magis ardere uoluit quam
Iarbae regi nubere, et Hasdrubalis uxorem, quae adprehensis utra-
que manu liberis in subiectum se praecipitauit incendium, ne pu-
dicitiae damna sentiret, et Lucretiam, quae amissa gloria castitatis
noluit pollutae conscientiae superuiuere. ac ne multa longo ser-
mone contexam, quae potes de primo contra Iouinianum uolumine

in aedificationem tuam sumere, unum tantum, quod in patria tua
gestum est, repetam, ut scias pudicitiam etiam barbaris ac feris et
sanguinariis gentibus esse uenerabilem. gens Teutonum ex ultimis
oecani atque Germaniae profecta litoribus omnes Gallias inundauit
saepiusque caesis Romanis exercitibus apud Aquas Sextias Mario
oppugnante superata est. quorum trecentae matronae, cum aliis
se uiris captiuitatis condicione tradendas esse didicissent, primo
consulem deprecatae sunt, ut templo Cereris ac Ueneris in seruitium
traderentur. quod cum non inpetrarent submouente eas licore,
caesis paruulis liberis mane mortuae sunt repertae suffocatis laqueo
faucibus et mutuis complexibus se tenentes.

ibid. 7

13. Quasi in breui tabella latissimos terrarum situs ostendere
uolui, ut pergam ad alias quaestiuncululas, quarum prima de Annae
consilio est:

solane perpetua maerens carpere iuuenta
nec dulces natos Ueneris nec praemia noris?
id cinerem aut manes credis curare sepul-
tos?

cui breuiter respondeat ipsa, quae passa est:
tu lacrimis euicta meis, tu prima furentem
his, germana, malis oneras atque obicis
hosti.

non licuit thalami expertem sine crimine
uitam

degere more ferae tales nec tangere curas.
non seruata fides cineri promissa Sychaeo.

(8

2 proponis mihi gaudia nuptiarum; ego tibi opponam pyram, gla-
 dium, incendium. non tantum boni est in nuptiis, quod speramus, 10
 quantum mali, quod accidere potest et timendum est. libido trans-
 acta semper sui relinquit paenitudinem namquamque satiatur
 et extincta redaccenditur. usu crescit et deficit nec rationi paret,
 quae impetu ducitur. sed dicis: 'amplae opes et dispensatio rei
 familiaris egent auctoritate uiri'. scilicet perierunt domus caelibum 15
 et, nisi cum seruulis tuis ipsa serueris, familiae tuae imperare non
 3 poteris. auia tua, mater et amita nonne auctoritatis pristinae honoris-
 que maioris sunt, dum eas et tota prouincia et ecclesiarum prin-
 cipes suscipiunt? ergo milites et peregrinantes sine uxoribus sua
 hospitoli non regunt et nec inuitant ad conuiuia nec inuitantur? 20
 quasi non possis probatae aetatis habere famulos uel liberos, in quo-
 rum nutrita es manibus, qui praesint domui, qui ad publicum
 respondeant, tributa persoluant, qui te suspiciant ut patronam,
 4 diligant ut alumnam, uenerentur ut sanctam. quare primum re-
 gnum dei et haec omnia adponentur tibi. si de ueste cogitaueris,
 lilia tibi de euangelio proponuntur; si de cibo, remittere ad aues,
 quae non serunt nec metunt et pater tuus caelestis pascit illas.
 quantae uirgines et uiduae absque ulla sorde rumoris suam sub-
 5 stantiolam gubernarunt?

ibid. 13

15. Uerum quid ago? fracta naue de mereibus disputo. qui
 tenebat, de medio fit, et non intellegimus adpropinquare anti-
 christum, quem dominus Iesus interficiet spiritu oris sui. uae
 20 praegnantibus et nutrientibus in illa die.
 quorum utrumque de fructibus nuptiarum est. praesentium miseri-
 arum pauca percurram. quod rari hucusque residemus, non nostri
 2 meriti sed domini misericordiae est. innumerabiles et ferocissimae
 nationes uniuersas Gallias occuparunt. quicquid inter Alpes et
 Pyrenaeum est, quod oceano Rhenoque concluditur, Quadus, L'an-
 dalus, Sarmata, Halani, Gypedes, Heruli, Saxones, Burgundiones,
 Alamanni et — o lugenda res publica! — hostes Pannonii uasta- 5
 3 uerunt. etenim Assur uenit cum illis. Mogontiacus,
 nobilis quondam ciuitas, capta atque subuersa est et in ecclesia
 multa hominum milia trucidata, Uangiones longa obsidione finiti,
 Remorum urbs praepotens, Ambiani, Atrabatae extreme que
 h o m i n u m M o r i n i, Tornacus, Nemetae, Argentoratus trans- 10
 latae in Germaniam, Aquitaniae Nouemque populorum, Lugdunen-
 sis et Narbonensis prouinciae praeter paucas urbes cuncta populata
 4 sunt, quas et ipsas foris gladius, intus uastat fames. non possum
 absque lacrimis Tolosae facere mentionem, quae ut hucusque non
 rueret, sancti episcopi Exsuperii merita praestiterunt. ipsae Hispaniae 15
 iam iamque periturae cotidie contremescunt recordantes inruptionis
 Cymbricae et, quicquid alii semel passi sunt, illae semper timore
 natiuntur


16. Cetera taceo, ne uidear de dei desperare clementia. olim
 a mari Pontico usque ad Alpes Iulias non erant nostra, quae nostra
 sunt, et per annos triginta fracto Danubii limite in mediis Romani
 imperii regionibus pugnabatur. aruerant uetustate lacrimae;
 5 praeter paucos senes in captiuitate et obsidione generati non
 desiderabant, quam non nouerant, libertatem. quis hoc crederet,
 quae digno sermone historiae comprehenderent Romam in gremio
 suo non pro gloria sed pro salute pugnare, immo ne pugnare qui-
 dem sed auro et cuncta superlectili uitam redimere? quod non 2
 10 uitio principum, qui uel religiosissimi sunt, sed scelere semibarbari
 accidit proditoris, qui nostris contra nos opibus armauit inimicos.
 aeterno quondam dedecore Romanum laborabat imperium, quod
 Gallis cuncta uastantibus fusoque apud Alliam exercitu Romam
 Brennus intrasset, nec pristinam abolere poterat ignominiam,
 15 donec et Gallias, genitale Gallorum solum, et Gallograeciam, in
 qua conederant occidentis orientisque uictores, suo imperio sub-
 iugasset. Hannibal, de Hispaniae finibus orta tempestas, cum uastas- 3
 set Italiam, uidit urbem nec ausus est obsidere. Pyrrhum tanta
 tenuit Romani nominis reuerentia, ut deletis omnibus e propinquo
 20 recederet loco nec auderet uictor aspicere, quam regum didicerat
 ciuitatem. et tamen pro hac iniuria — non enim dicam superbiam,
 quae bonos exitus habuit — alter toto orbe fugitiuus tandem Bithy-
 niae mortem ueneno repperit, alter reuersus in patriam in suo regno
 occubuit; et utriusque prouinciae Romani populi uectigales sunt.
 4 nunc, ut omnia prospero fine eueniant, praeter nostra, quae amisimus,
 non habemus, quod uictis hostibus auferamus. potentiam Romanae
 urbis ardens poeta describens ait: quid satis est, si Roma
 parum est? quod nos alio mutemus elogio: quid saluum est, 5
 si Roma perit?
 non, mihi si linguae centum sint ora que
 centum,
 ferrea uox, omnes captorum dicere poenas,
 omnia caesorum percurrere nomina possim. 10
 et haec ipsa, quae dixi, periculosa sunt tam loquenti quam audien-
 tibus, ut ne gemitus quidem liber sit nolentibus, immo nec auden-
 tibus nobis flere, quae patimur.

(9)

17. Responde mihi, carissima in Christo filia, inter ista nuptura
es? quem acceptura uirum? credo fugiturum aut pugnaturum — quid 15
utrumque sequatur, intellegis — et pro fescennino carmine terri-
bilis tibi rauco sonitu bucina concrepabit, ut, quas pronubas, habeas
forte lugentes, ut quibus deliciis affluas, quae possessionum tuarum
reditus perdidisti, quae obsessam familiolam tuam morbo et fame
2 cernis contabescere? sed absit, ut de te talia sentiam, ut sinistrum 20
quippiam suspicer de ea, quae suam animam domino consecrauit.
non tam tibi quam sub tuo nomine aliis sum locutus, quae uinosae


et curiosae atque uerbosae domus circumeunt matronarum, quarum
deus uenter est et gloria in confusione earum,
quae nihil aliud de scripturis nisi digamiae praecepta nouerunt,
quae in alieno corpore sua desideria consolantur, ut, quod ipsae
5 fecerunt, alias facere uideant et malarum societate palpentur. qua- 3
rum cum inpudentiam et propositiones apostolicarum sententia-
rum interpretatione contriueris, legito, quomodo tibi in uirginitate
uiuendum sit, librum ad Eustochium de uirginitate seruanda et alios
ad Furiam atque Saluinam, quarum altera Probi quondam consulis
10 nurus, altera Gildonis, qui Africam tenuit, filia est. hic libellus 'De
monogamia' sub nomine tuo titulum possidebit.


ibid. 15-17



L'IMPERO ROMANO NEL IV SECOLO.

Le invasioni barbariche





I regni romano-barbarici nel 526 d.C., alla morte di Teodorico.



PROGRAMMA DI LETTERATURA LATINA TARDOANTICA NON FREQUENTANTI

F. Gasti, *Profilo storico della letteratura tardolatina*, Pavia 2013

- Capitolo 1. *Due secoli collegati (III-IV)*
- Capitolo 2. *Romani e barbari, pagani e cristiani*
- Capitolo 3. *Gli orientamenti della cultura*
- Capitolo 4. *Generi e forme della letteratura nel III secolo*
- Capitolo 6. *Gli apologisti*
- Capitolo 7. *Lattanzio*
- Capitolo 8. *Lusus e color nella poesia del III secolo (solo 8.3. L'Anthologia Latina)*
- Capitolo 9. *Generi e forme della letteraura nel IV secolo*
- Capitolo 11. *Ausonio*
- Capitolo 13. *Prudenzio*
- Capitolo 15. *L'oratoria e Simmaco*
- Capitolo 16. *Ammiano Marcellino*
- Capitolo 17. *Storiografia e biografia nel IV secolo (solo 17.1. La cosiddetta Historia Augusta)*
- Capitolo 20. *Ambrogio*
- Capitolo 21. *Girolamo*
- Capitolo 22. *Agostino*
- Capitolo 23. *Dalla letteratura romana a quella medievale*
- Capitolo 24. *L'età romanobarbarica*
- Capitolo 25. *Nuovo e antico nella cultura romanobarbarica*
- Capitolo 26. *L'ultima letteratura pagana (solo 26.1. Rutilio Namaziano; 26.2. Letteratura di evasione e lusus)*
- Capitolo 28. *La poesia cristiana nel V secolo (solo 28.1. Sidonio Apollinare)*
- Capitolo 29. *Letteratura dell'Africa vandolica tra V e VI secolo (solo 29.3. Draconzio)*